

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

146. Aqua mirabilis Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

146. Aqua mirabilis Ripley,

Pag. 212. Philorcii.

R. **T**artarum calcinatum album sicut nix est, & tere super Marmor, & incera cum Aqua vitæ fortificata cum suis speciebus ut præmittitur (*cum Menstruo sub No. 8. descripto*) donec sit ut pasta tenuis: Tunc pone in vase circulatorio, & rota Aquam donec in Tartaro penitus siccetur; tunc reïtera idem opus, & sic continua, donec exhauserit de aqua in pondere duplam sui partem & quantitatem, quo factò ponatur Tartarus tritus super lapidem vel suspendatur in sacco lineo, & supponatur vitrum ad recipiendum ejus stillicidia, & hoc fiat in loco subterraneo, donec totus Tartarus destilletur in Aquam claram, ex qua post destillationem & coagulationem fit sal mirabile & Naturæ, quod Philosophi vocant sal petrae & sulphur incombustibile (*proprie sal Tartari volatile*) quod figit omne Argentum vivum. Ut autem habeas perfectam Aquam vitæ (*pro hoc opere requisitam*) pone Vinum (*philos.*) in Circulatorio per centum dies, ut rotetur cum suis speciebus, & tunc extrahe ex eo Aquam vitæ (*menstruum sub No. 8.*) quæ excellit in gradu bonitatis omnes Aquas Mundi. Operare cum ea super Tartaro ut dictum est & aqua inde creata vocatur Ignis infernalis (*vide Acetum acerimum Ripley sub No. 23.*) quia si tantum apponas de sale armoniaco sublimato quantum de Tartaro, unum stillicidium illius post ejus perfectionem, interficit subito cancerum in carne hominis, & si deguttetur super manum penetrat eam, & solvit omne corpus. Absque hac Aqua parum proficimus in hac arte, & qui hanc Aquam habuerit, de artis complemento nullatenus dubitabit. Hæc autem Aqua fortificatur in duplo, si æqua portio illi addatur de spiritu minerali, qui est Aqua acuta philos. (*Leo viridis Ripley sub No. 59.*) & post super Tartarum & super sal armoniacum usque ad spissitudinem circulatur, & postmodum solvitur in Aquam claram. Quod si fiat erit aqua ista omni auro incomparabilis & unum de mirabilibus hujus mundi.

Aliquando loco Menstruorum Vegetabilium Menstruis mineralibus commiscuere sal Harmoniacum Vegetabile. Ita,

147. Men-